

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4857

Auteur(s) : Rouen (official)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1250, mai

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Alice Saudebreuil vend aux religieux de Bonport un tènement à Rouen.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CLXXXI, p. 184-185.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris, officialis Rothomagensis, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presencia constituta Aelicia, uxor Radulphi Saudubruil, tunc de parochia Sancti Machuti Rothomagensis, ut dicebat, de assensu et voluntate predicti ejus mariti, qui presens erat, recognovit se vendidisse et omnino reliquisse abbati et conventui Boni Portus, pro triginta et una libris turonensium, et pro decem solidis turonensium pro quadam guinpla ad opus dicte Aelicie, de recognitione, de quibus tenuit se pro pagata coram nobis, renuncians exceptioni pecunie non numerate, quoddam tenementum integre ligneum et lapideum, quod dicebat se habere in eadem parochia, inter tenementum dictorum abbatis et conventus, quod tenent, ut dicitur, elemosinarie de dono Aelicie Mordret, ex una parte, et tenementa dicte Aelicie Mordret, et heredum Gilleberti Mordret, sicuti se protendit a vico, per ante, usque ad terram heredum Matildis de Mara, per retro ; tenendum et possidendum eisdem abbati et conventui, bene et [in] pace, jure hereditario ; et ad faciendam ex inde, salvo tamen jure dominico, omnem suam penitus voluntatem. Juraverunt insuper predicti Radulphi et Aelicia, uxor ejus, tactis sacrosanctis ewangeliis, spontanee coram nobis, quod in dicto totali tenemento, tam ligneo quam lapideo, vel in parte ejusdem, ratione hereditatis, dotalicii, maritagii, elemosine, vel aliqua alia ratione, sibi modo competenti, in aliquo foro ecclesiastico, seu seculari, per se vel per alium nichil de cetero reclamabunt, et quod dictos abbatem et conventum super premissis nullatenus molestabunt, sed ipsi Radulphus et uxor ejus, ac eorumdem heredes, predictis abbati et conventui predictum totale tenementum ligneum et lapideum, contra omnes garantizabunt ; asserentes, sub juramento prestito, quod in isto contractu aliquid nesciunt quod turpem questum sapiat vel usuram. In cujus rei testimonium, sigillum curie nostre, ad instanciam parcium, salvo jure cujuslibet, presenti scripto duximus apponendum. Actum anno Domini M° CC° quinquagesimo, mense maio.